Q. D. T. O. M. I.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHYSICO-CHYMICO-MEDICA,

de

FONTIBUS SOTERIIS,

Geſund-Brunnen/

qvam

Inclytæ Facultatis Medicæ indultu.

In Illuſtri Electorali Erfurtina,

PRO LICENTIA

Summos in arte Medica Honores & Privilegia Doctoralia ritè capeſſendi

JOH. CHRISTIANUS Kalchoff/

Haſſo-Caſſelanus.

Reſpondente

CONR. RUDOLPHO Hertz/ Erf.

Solenni philiatrorum examini ſubmittit

IN AUDITORIO MEDICORUM

Die Febr. Anno 1678.

LIPSIÆ,

Apud NICOLAUM SCIPIONEM.

31

SERENISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO, DOMINO

CAROLO I.

HASSIÆ LANDGRAVIO,

PRINCIPI HIRSFELDIÆ, COMITI CATTIMELIBOCI,
DIETZIÆ, ZIEGENHAYNE, NIDDÆ ET
SCHAUMBURGI, &c.

PRINCIPI ADQVE DOMINO
SUO CLEMENTISSIMO

Diſſertationem hanc Inauguralem

qvàm humillime

d. d. d.

AUTOR.

SERENISSIME PRINCEPS
DOMINE CLEMENTISSIME.

NOn ſpes avara, neqve ambitus qvidam Tuum Sereniſſimum limen heic diſſaviatur. Mea ſi audacia eſt, fortè miteſcit hoc vitii per humillimi cultus religionem, qvæ huc perduxit: & qvam illi debere me ſentio, cui non tantum in parendi ſortem natus ſum, ſed & adorandi. Iſtud PRINCIPI meo perſolvere, hoc autem CAROLO teneor, duplicis voti damnatus. Hujus indicem tabulam hanc de Fontibus Soteriis *in Sacrarium Tuum fero & devotiſſimè obſecro ne Sereniſſima Tua Celſitudo, de ſuis tholis refigat, qvæ piè & auſpicato omine appenditur: Imò etiam cum ardentiſſimo voto: ut DEUS ipſe Fons Salutis TE cum AUGUSTISSIMA DOMO ſervet, ſoſpitet.*

Sereniſſimæ Tuæ Celſitudinis

Humillimus Servus

JOH. CHRISTIANUS Calchoff.

I. N. J.

CLamare in cœlum præſtantiſſimarum rerum poteſtates, ſe velut fruſtra veniſſe, vix qvenqvam eſſe, qvi vincula earum chymicè ſolvat, ut benevolentiam, qvam mortalibus debent, perſolvant: *Helmontii* effatum eſt. *Tr. de febb. cap. 15. ſſ. 8.* Sed mœſta qvieſcat qverela iſtarum potentiarum, qvæ longius à nobis abſunt & tenebris immerſæ non niſi face chymica accenſa perluſtrari gaudent. Sexcenta alia Dei & Naturæ pharmaceutica dona obvia & in aprico ſunt, qvæ non fugiunt nos, ſed nos illa, & noſmet ipſos abſtinemus ab illorum paratiſſimo aliàs uſufructu.

Non loqvar hîc ſimplicium tria regna incolentium ampliſſimam ubertatem, qvæ nil obſtetricante noſtra manu, ſuâpte ſponte ſuas dotes in lucem edunt: Hîc ipſorum elementorum latè patentium qvadriga præſtò eſt, qvæ non tantum per omnia rerum, ſed ſimul etiam in noſtra pharmacopolia ſeſe invehit. Virtus ignis ut ipſe ignis reſplendet. Noſterqve vitæ Spiritus, qvi de aſtralis ignis proſapia eſt, de igne inferiori ſibi conſangvineo non vulgares opes poſcit & adipiſcitur. Hujus elementi qvotidianos favores & fomenta non attingam, nec crudeles Veterum jamqvè penè antiqvatas uſtiones recentabo. Id autem effatu & notatu dignum eſt, qvòd *Boylius in Experim. Phil.* recenſet, ignem victorioſa manu agere in venena, qvæ non tantummodò comburendo edomet, ſed eminus etiam per magnetiſmum eliciat & ex corpore eliminet. Talis modi uſus eſt: Ferrum candefactum membro dente viperino afflicto, qvousqve ferre calorem ſine uſtione valet, ſat propè admovetur; & omne venenum, maculâ aliqvando in ferro relictâ, propediem elicitur. Ejus rei periculum in homine proletario factum eſt, qvi poſito pretio ab inſigniter irritata vipera ſuſtinuit morſum in manu, unde iſta propediem tota intumeſcens, priora ferè vitæ pericula, qvàm ferrum candefieri potuit, intentavit: Nihilominus iſto, deinde per decem circiter minuta admoto, incrementum tumoris cum veneni ſævitia mox penitus diſparuit. Qvi homo poſtea hôc mediô non ſemel pecunias

lucratus

China adeô deprædicat, ſeſe unicè debere, perſvaſiſſimum animum induco.

Neqve Aëris medica virtus hîc evaneſcit in auras. In qvo enim revera ſecundum Sendivogium occultus vitæ cibus eſt. Plusqvam Poëticam adulationem Sammonici de Æſculapio, aër in ſeſe verificare poteſt:

------ reduces qvi tradere vitas
Novit & in cœlum manes revocare ſepultos.

Hiſce oculis non ſemel vidi, anatomicam victimam canem, qvi jam fatis ceſſiſſe omnibus ſeſe notis prodidit, inſufflato per pulmones aëre & hinc ſtagnante ſangvine in ſuum circulum impulſo, iterum vividos adaperuiſſe oculos, & aura & vita ſimul frui incepiſſe. Id qvod experimenti *Hoockius* Societati Regiæ Anglicanæ communicavit, ut eſt in *Ephemm. Anglic.* Ann. 1667. *Eph. 13.* Qva de re etiam videatur *Rich. Lovverus Tr. de Corde.* in India qvandam Medicorum ſectam eſſe, qvæ omnes morbos ſolo afflatu curandos aggreditur, Borellus habet Cent. III. obſ. 58. ibidemqve exemplum hominis in Gallia, in cujus mortui nares faucesqve inſpirato aëre vitam, qvaſi per miraculum Prophetæ, rediiſſe, recenſet. Videatur etiam *Malach. Thruſton.* de *Primario Reſpirationis Uſu*, qvi aqvâ ſuffocatorum animalium inſufflationis beneficio reviviſcentium ſat plures hiſtorias recenſet.

Infima terra iſto nomine non cæteris elementis inferior eſt. Neqve qvidem vulgaris qvæ pedibus calcatur, vulgares exerit virtutes alexipharmacas. Hinc vulneribus & plagis venenatis præſenti cum emolumento à plebe applicatur. De Lemnia, Sileſiaca, ſigillatis terris, item de unicornu foſſili &c. vulgò notoriis dicere ſuperſedeo.

Qvod autem maximè hîc pedem figere jubet Elementum Aqvæ eſt, qvam fontes nobis ubere vena fundunt ſimulqve tot ſalutares virtutes propinant. In præſentiarum de *Fontibus Soteriis*, rudìter cogitata, qvalia per temporis anguſtias licet, in breviculas theſes atqvè ectheſes conjiciam. Id qvod Deus T. O. M. ſecundet!

Theſ. I.

Omnis aqva de mari oritur. Exinde autem altiora petere loca non niſi vel hydraulicas per violentias vel evaporationes poteſt. Non prius, ſed poſterius verum eſt.

EXpreſſe *Salomon Eccleſiaſticus cap. 1. verſ. 7.* Omnes aqvas venire ex mari, rurſumqve emenſo curſu ſuo mari ſeſe reddere affirmat; Eademqve opera non levem crucem Philoſophorum turbæ figit, hac de re anxiæ, qvei nimirum aqva, qvam terra altiori littore ubiqve ambit, ſpreta hydraulices lege & vi Naturæ illata, aſcendere qveat de centro terræ, in qvod per ſingulares vortices, perpetuo & præcipiti lapſu, aqvam marinam ſeſe devolvere, evidentiſſimè compertum eſt, vid. *Kircher. Mund. ſubterran.*

Qvidam matheſeos Conſulti gravativam maris molem, potiſſimùm, ſi qvando per tempeſtatem in procellas elevatur, accuſant, qva nimirum aqva per anguſtos & ſinuoſos mediæ terræ tubos, qvi pondus aqvæ allevient & ſuſpendant, propellatur. Hæc autem à procellis tantillum ad aucta gravitas iſta preſſionis poſtulatâ neceſſitate longè minor eſt. Neqve adhuc dum æqvilibri rationes complet, ſi qvando ingenioſiſſimus D. R. *Hoockius* ſalis marini levia ſuperpondia adjicit. Neqve tortuoſæ qvidem & anfractuoſæ viæ aſcenſum juvare poſſunt, cui enim opinioni *Boylii, Paradoxum Hydroſtati c. 5.* contradicit, ubi evidenti experimento demonſtratum habetur: Liqvorem, licèt per flexuoſos, irregulares & diametrô multum differentes tubulos propulſum, ad eandem tamen altitudinem, eâdem preſſionis vi ubiqve ſuſpendi.

Si ergò mechanica nulla ratio aqvæ marinæ alleviandæ & elevandæ ſatis eſt, Phyſicam iſtud negotii exeqvi debere, in dubitatum evadit. Talem *Helmontius* reddere conatur, qvi aqvis, qvamdiu in terra qvellem hoſpitantur, ex ſubterranei Archæi favore oriundum vitalem motum, qvi gravativam propenſionem aboleat, attribuit. Proqve argumento allegat exemplum moventis ſangvinis in vivente corpore: *In homine,* inqvit, *qvamdiu ſangvis in venis fluctuat tam in fronte qvam in pedibus par reſpectus ſituum eſt, extravenatus* verò *illicò gravium ſortem induit: Ita qvoqve in Macrocoſmo, qvamdiu aqva in ſuo hoſpitio communi vitâ fruitur, Spiritus intus agit & totam diffuſa per artus mens agitat molem, ſurſum deorſumqve ſine labore properat: At ſemel vitali excuſſa hoſpitio, non ceſſat labi per declivia uſqve ad mare concatenato motu devolvatur.*

Cum autem hîc æqvè obſcurum reſtet, qvei ſpiritus hypogei nutu, aqva in priſtina mole gravitatis ſuæ oblviſci & aſcenſum moliri qveat, neqvè tantillum lucis datum ſangvinis exemplum adſpergat, utpote cujus longè alium motum ab *Harvæo* & oculatiori noſtro ſeculo edocti ſumus: altera hypotheſis de Evaporatione firmo utiqve ſtat talo. Qvæ etiam R. P. Schotto arriſit, qvando tr. de Fontium Origine lib. V. p. 344. ita effatur: *Aqva*

Aqva marina aſcendit ad aliqvorum fontium ſcaturigines evaporatione & qvaſi deſtillatione, dum è mari in ſubterranea receptacula transcolata, ſubjectis & circumjectis ignibus ſubterraneis calefit, calefacta reſolvitur in vapores, hi aſcendunt in altum, &c. Eo dono hic excellere, Curioſiſſimum P. videmus, ut conjecturis veritati præludat & præſcio animo obſervationes adhuc latentes & futuras prægustet. Qvam ejusdem prudentiam, qvod de Attico & Cicerone à Nepote dictum eſt, meritò æſtimamus qvodammodò divinationem eſſe & felicem conjecturam. Qvam deinde demonſtrativo jure donavit *Beccherus*. Qvi annotat totum geocoſmum variis effluviis ſcatere eorumqve perennia flumina de profundo aſſurgere in altum, non autem prius coagulari, qvàm in certas lutoſas, terras impingunt, ibi effluvia pro ingenio ſuo in varios ſuccos atqve etiam undas fontanas liqveſcunt. Iſtudqve lutum à nullo fonte abeſſe, ſiqvè effodiendo erutum eſt, tantummodo in crypta vagari vapores incoërcibiles, nec niſi reſtituta argilla colliqveſieri vid. *ejusdem Phyſic. ſubterran. Sect. 2. cap. 3. num. 6.*

Res evidentior evadit ab exemplo pluvialis aqvæ, qvam ejusdem cum fontibus ortûs communione *Eccleſiaſticus* non excludit. Pariter enim ex vapore concreſcit, qvi de terra mariqve elevatus nubes conſtituit. A principio mundi vapores de terra aſcendiſſe & ejusdem totam ſuperficiem irrigâſſe, teſtis *Sacra Geneſis eſt.* Nubem de mari aſcendiſſe & largiſſimos fudiſſe imbres legere eſt in *Scriptura Reg. 3. cap. 18. verſ. 44.*

Huc pertinet mirandum phænomenon Vorticis aëreo-aqvei, qvi non rarò in mari apparet, Angli à ſpout dicunt. Eſtqve ingens aqvarum moles, qvæ inſtar columnæ ſeu montis in altum aſſurgit, à qva nebula denſior ex atomis aqveis conflata ortum ducens circumqvaqve expanditur, in ſummitate autem contractior evadit & in pyramidale acumen deſinit. Ceſſante vaporum flumine tandem horribili viſu ſpectaculo, mons aqveus cum magno impetu ruit & nonnunqvam etiam naves ſubmergit. Vid. *Majovv. Tr. de Spiritu Nitro-aëreo* cap. II.

Et tandem ut dulcis aqva pluvialis & fontana nobis ſuppetat, omninò neceſſe eſt, ut de mari evaporando & qvaſi deſtillando, poſt terga relictis fixioribus ſalinis corpuſculis, aſcendat. Id enim qvod nullâ filtrationis & transcolationis opera aliàs effectum daretur. Perqve experientiam certum habetur, aqvam marinam, ſi per alembicum vulgari modo deſtilletur, tantummodò liqvorem inſipidum nec niſi in fine, potentiori adhibito igne, ſalino-acidum ſtagma elargiri.

Theſ. II.

Theſ. II.

Aqva centralis per ſubterraneum fermentum, ad qvod Aſtralis influentia facit, rareſit & elevatur.

FErmentum aſtrale pono, non ignivomum & flammantem Vulcanum, qvi in terris tamen eidem ſeſe principio & deinde ſulphureo cuidam pabulo debet, neqve in centro ſed ſuperficialibus tantummodò cryptis hoſpitatur, ut aëre fruatur, ſine qvo exſpirat. Sanè effluvia fontana & pleraqve ſubterranea non ignis beneficiô attenuata ſunt, qvæ enim hinc ex obvio frigore demuò concreſcerent. Sunt autem fermentô Spiritus influi conflata, ideò non niſi per Spiritus analogi fixi in certis argillis inſiti favorem coagulabilia.

Taliſmodi fermentô meditullium terræ incaleſcere non tantummodò ſubterranei Vulcani ſed etiam thermales aqvæ totqve in metallicolarum cuniculis nativa ſudaria eloqvuntur. *Boyle Tr. de Temperie ſubter. region.* hac de re elegantiſſimas obſervationes nobis largitur: Nimirum, licet, inqvit, prima terræ regio ratione caloris & frigoris, ſecundum ac aër vel æſtivus vel hyemalis ambit, admodum variabilis ſit, tamen profundiſſima loca perenni calore, eoqve majori, qvo altius abſunt, perfuſa eſſe. Morinus qvidam, allegante eodem, teſtatur, ſe in fodina Hungariæ Menſe Julii circa aditum frigus qvidem intenſum, deinde autem poſt octoginta orgyas tepidi aëris qvalitatem deprehendiſſe, qvæ profundius demiſſo intenſior magis magisqve viſa, nec parum grata fuit &c.

Iſte influxus Spiritualis ut perennis, ita neceſſe eſt, ne non de perenni etiam ſcaturiat fonte; Intrinſeca & à ſe non datur Spirituum Phyſicorum, nec ullarum ſubſtantiarum multiplicatio. Ut in cæteris omnibus nutriendis, augendis, multiplicandis, ita etiam hîc externi elementi ſpirituoſi influi adminicula opus ſunt. Qvod Ariſtoteli τὸ στοιχεῖον τῶν ἄστρων audit. Id qvod omnibus inſitum, in omnia influum eſt, ex qvo omnia vivunt & moventur. Hinc *Helmontio*, *VVardigio* & pluribus Recentioribus Spiritus non niſi luces audiunt. Lux enim ſanè ex genuino Spirituum more activiſſima, perniciſſima ſubſtantia eſt, non omni qvidem corporeæ dimenſionis lege exempta, aſt nihilominus, qvod Optici norunt; penetrationis dimenſionis non incapax, Doctiſſimus *Bartholinus* rati habet hanc ſententiam & *Tr. de Luce Animalium* commendat. *in Cent. 4. Epiſt. 86.* hoc lucis elementum primo die Creationis, Verbo, *fiat lux*, conditum fuiſſe, in omnibus rebus ineſſe, non autem ex oculorum arbitrio dependere, revera tamen exiſtere, ejusdem lucis magnum uſum eſſe in cordis motu, idqve cicindelas

probare,

probare, qvarum pars poſterior, ubi cor ſitum, ſola ſplendet ſimul & palpitat, aſſeverare non dubitat. Hanc poſitionem conſignet nobis gemma doctiſſimi Medici & Philoſophi Monſpelienſis, *Petri Johannis Fabri*: Nemo, inqvit, miretur, cœlum terræ miſceri poſſe, terramqve fieri, cum omnium rerum Spiritus non niſi cœlum ſint ac Philoſophis Chymicis ita dicantur. Sympathiam cum cœlo habent, qvia ex cœlo oriuntur. Radiis putâ ſolis, lunæ, planetarum, & ſtellarum omnium. Ita ut unus itemqve Spiritus ab alto demiſſus & animalibus, plantis, mineralibus immiſſus, etiam animalis, vegetabilis & mineralis fiat, ad eorum omnium conſervationem & vitam. Vid. *ejusdem Pallad. Spagyr. Cap. 5.*

Influentias autem aſtrales uſqve in centrum geocoſmi ſeſe penetrare & aqvas movere ſaltim ex Lunæ dominio marino pateſcit. Cui redundantis relabentisqve aqvæ viciſſitudines, qvæ iſtius luminaris lationem accuratiſſimè æmulantur, uno ore adſcriptum cordatiores omnes eunt. Neqve iſti radii extimam tantummodò maris ſuperficiem lambunt, ſed uſqve in medullium terræ penetrant. Documento eſt, qvod non tantùm radiis lunaribus expoſitum mare, ſed qvod è diametro terræ oppoſitum eſt, æqvalem ſimul æſtum & uno tempore experiatur. Hinc qvavis horâ duodecimâ fluxus & refluxus redeunt.

Ut autem id ſaltim etiam per rationes ſuprâ laudatas, amplius dubium eſſe neqvit: Ita reddere irrito conatu laborant, qvi radiorum virtutem ex videndi luminis præſentia dimetiuntur. Ex oculorum arbitrio non omnem lucem dependere ſuprâ ex Bartholino audivimus. Lumen Lunæ proprium ut non deeſt, ita oculis uſurpare non datur, tantummodò qvod à Sole eſt mutuatum. Deinde eadem lux, qvæ diffuſa oculos fugit, in certis ſubjectis collecta pateſcere denuò obſervatur. Calor, qvi ignis diſperſus eſt, lumen ſuum, qvod aliàs occultat, prodit in lapide Bononienſi, Item in artificiali lucis magnete recens invento à Dn. Kunkelio, Chymico Electorali Saxonico. vid. Kirchmeierum de Noctiluca. Tandem in adamante Claytoniano Anglico lucente, qvo de curioſiſſimas obſervationes illuſtris *Boyle tradit* in *Tr. de Coloribus*. Talem adamantem, qvi ex affrictu vel qvâvis ratione injuncto calore ſplendidè lucet, bina caratia pondere æqvantem, Claytoniano vix imparem vidi apud Excell. D. D. Caſparem Cramerum Anat. & Chir. P. P. Celeberrimum, Præceptorem meum unicè fideliſſimum, qvi talis modi lucentium adamantum ſpecificos ſe characteres, qvibus proderentur, obſervaſſe affirmat.

Theſ. III

Vapor ſubterraneus, Helmontius Gas vocaret, in certa ſpecie luti cœrulei, pingvis, qvale à nullo fonte abeſt, condenſatur in aqvas; ubi fontium origo eſt.

HElmontius paradoxi licentia, in nominis egeſtate, Gas vocare ſe confitetur halitum ſeu effluvium, vapore & fuligine multò ſubtilius, aëre autem adhuc denſius, qvod materialiter ſit aqva, per fermentum autem, aſſociato ſibi Spiritu, talis modi formam & tenuitatem adeptum, hinc ferè incoërcibile, ut qvod non niſi fermenti Spiritu exuto in corpus redeat. Vid. *Tr. Complex. & Miſt. Figm.* *§. 14. 38.* &c. It. *Progymn. Meteor. §. 29.*

In omni fermento talia exuſcitari effluvia per numeroſas inductiones ſatis compertum eſt. Qvæ autem ubivis ægrè coërcibilia ſunt. Qvod enim color humidum reſolvit, frigus coërcere poteſt; Non item qvod fermentum. Ubi neceſſe eſt, ut fermentali ſpiritu prius exuatur qvàm manumittatur reſolutum & concreſcat. Id autem officii exeqvitur in fontibus ſpecies luti cœrulei, qvale à nulla ſcaturigine abeſt. Iſtam luti fontiumqve familiaritatem obſervavit etiam *Johannes Tackius, Archiater Darmſtatinus; Naturæ magnus Myſta in Tr. Eucrene Theoſophica*, ubi argillarum multa ſecreta tradit. Coſmopolitæ non tantummodò tota Chymica, ſed etiam ſubterranea Phyſica talis modi fermentalis reſolutionis & coagulationis principio innixa videtur, dum in terræ penetralibus inqvilinorum omnium corporum omne incrementum de ſpirituoſis centralibus effluviis, per certas terræ matrices attractis, retentis, transmutatis derivat. Qvos ſpirituum cum terra magneticos motus non neſciunt Chymici, qvi utroſqve ita jungendo, immutando, & deinde ſeparando in ſuum compendium vertunt.

Theſ. IV.

In loco ſcaturiginis Spiritûs vaporum influentialis & inſiti argillacei qvidam colliſivus motus & fermentatio obſervatur.

FErmentatio hîc dicitur particularum minimarum fluidarum ex favore ſpiritus influi & inſiti, in corporibus oriundus inteſtinus & colliſivus motus, ad conſeqventes alterationes & transmutationes, differentes, prout impetus influi & idea inſiti ſpiritus differunt. Hic vapor fontanus ſpiritu donatus influo, ſuum inſitum qværit & invenit in lutis. Uterqve eſſentialiter unus eſt. Terminis, motu, conſiſtentiâ differunt. Ille rarus, mobilis, activus, elaſticus: Hic è contra eſt. Ille impetum

tum facit, hic ſuſcipit. Ex qvibus rationibus dependet utriusqve celeberrimus conſymboliſmus & ſympatheiſmus. Alter alterius ope indiget, hinc amicè conjurant. Singuli id habent, qvod alteri debetur. Sibi ſolis deficiunt, mutuò ſufficiunt.

Fermentationis eſſentia per phænomena pateſcit. Qvæ ſunt calor, ebullitionis motus, qvarundam particularum volatiliſatio, aliarumqve fixatio. Calor in fontibus, qvi eosdem etiam à glacie defendit, hyemali qvidem tempore notorius eſt. Frigus per æſtatem ibidem obvium ab ambiente terra impreſſum, calorem fontium nativum non negat, potius confirmat. Eadem enim hic ſubeſt ratio, ac ſi per ignem in ambitu ſcrobis accenſum; potus in illa, media etiam æſtate, refrigeratur. Ebullitionem apparentes in fontibus numeroſæ bullulæ produnt. Rarefactionis & Præcipitationis effecta ſeqvens th. manifeſta dabit.

Non diſſimile fermentationis exemplum, qvod noſtram poſitionem inſigniter illuſtrat, in magmate lutoſo, poſt roris ſeu pluviæ Martiæ putrefactæ deſtillationem relicto, occurrit. Qvod enim vernali tempore redeunte ſponte fermentare & plus vice ſimplici oras vitri ſupergredi viſum eſt: annotante id magno Chymiatro, *Daniele Ludovici in Pharm. p. 119.* Accipit & tradit hic magnum lumen Inundationis Niliaca, pariter ſubterraneis effluviis, & limoſæ fermentationi ſeſe debentis hiſtoria. Qva de re curioſiſſimas obſervationes *D. de la Chambre* communicat: nimirum limum Nilo extractum tempore imminentis diluvii ab effluviis atmoſphæræ ſuſceptis, ponderoſiorem evadere & mole augeri, totumqve Nilum iſto tempore à talismodi luti ebullitione turbidum evadere atqve lutoſum. Ne qvid hic diſſimile ſit à fermentationum phænomenis, poſt lutoſæ ſubſtantiæ multam præcipitationem, etiam ſubtilium vaporum copioſa elevatio contingit. Illa ad agrorum fructificationem, hæc aëris depurationem & roris ortum facit, qvem Ægyptii Guttam vocant. Qvo depluente, propediem febres peſtilentiales, qvæ exitiosè ibidem graſſantur, ſimul abiguntur omnes. Vid. *Journal des Scavans, Anno 1666. Eph. 25.*

Theſ. V.

Fermentationis fontanæ omnia Phænomena & accidentia occurrunt, inter qvæ eſſentialia ſunt qvarundam particularum Præcipitatio ſeu fixatio, aliarumqve Rarefactio.

PRovoco hic ad fermentationum illisqve analogorum motuum omnia exempla. Per ignis motum & ſalis fixa & fuliginis ſubſtantia volatilis oriuntur. Si qvando metalla reſolvuntur, ebulliente motu excitato, terra qvædam fixa in fundum reſidet, multumqve ſimul gas exſpirat. Aqva communis ſi putredinem capit qvæ fermenti ſpecies eſt, & copioſum ponit ſedimentum & ſpirituoſitatem contrahit, imò etiam inflammabilitatem ſpiritus ardentis inſtar. Id qvod de Thamiſis aqva inter navigationes Americanas Angli annotarunt. Vid. Eorum *Ephemerid.* Fermentationes potulentorum idem teſtantur. Neqve enim terreſtris Tartarus & fœculentia, neqve ſubtile gas & ſpiritus ardens in muſteis liqvoribus præexiſtunt ſed oriuntur. Chymici norunt, omnium ſpirituum volatilium ortum non niſi fermento deberi. Neqve urina, niſi cum ſale alcali præcipitata vel putrefacta ſuum ſal volatile promit. Ubi ſimul etiam terreſtrem & ſabuloſam ſaburram putreſcendo de ſeſe reddit. Hinc in corpore ſi concipitur urinæ talis putredo præſtò eſt lithiaſis. Qvid autem refert in re adeò clara ambagioſas induxiones texere, qvæ infinitæ ſunt. Vid. hac de re *Beccher. in Phyſ. ſubterr. Sect. 5. cap. 1. 2. & 3.* Ubi de Fermentatione & Putrefactione hincqve novè producta partim volatili partim fixiori ſubſtantia egregia commentatur.

Theſ. VI.

Aqva eliſo Spiritu præcipitatur in terram, Sal, lutum, ſabulum, calculos, qvi à nullo ferè fonte abſunt, imò metallicas etiam particulas, prout Spiritûs motus & ſeminalis idea jubet.

OMnia fluida iſtam ſubtilitatis rationem ſubtili incolenti ſpiritui unicè acceptam referunt. Firmiſſima corpora, tali induto elaſtico expanſivo ſpiritu, ſimul ſimilem conſiſtentiam acqvirunt. Nec deſunt hanc in rem facientia ſexcenta Chymicorum experimenta. Hoc autem ſubtiliſſimo elemento ex fluidis corporibus rurſus extricato, neceſſe eſt ut ſecundum ejusdem carentiam, etiam compactionis & firmitatis gradus denuò increſcant. Id eſt, qvod Sendivogius exprimit: Poſſe aliqvem pretioſos lapides ex aqva conſtituere, qvi noverit inſiti aëris tollere rarefactiones. Saltim frigus, qvantum inſiti in aqva ſpiritus conſvetum elaterem coërcet, tantum etiam indurat eam in glaciem. Qvæ intenſiori frigore, qvale in Ruſſia eſt, impreſſo, adhuc durior evadit, ut tardiſſimè, etiam ponè ignem poſita, denuò liqveſcat, qvod *Borell.* recenſet. Saltim hinc fidem ſibi cudere poteſt hiſtoria de monte Cryſtallino Helve-

Helvetico ex aqva glaciata enato, cujus *Acta Philoſoph. Anglic.* Anno 1669. n. 49. mentionem faciunt.

Qvacunqve autem alia ratione ſubtile & fluidificum elidatur principium, id qvod maximè per fermenta licet, etiam variæ concretiones ſimul exoriuntur. Nimirum omnium corporum nutritiones, & auctiones per talismodi magneticæ præcipitationis legem, vel mediatè vel immediatè ex aqva, ubi alibiles particulæ elatere infracto, ſucceſſivè indureſcunt, certiſſimè eveniunt. Id qvod iis, qvi Helmontiana & Boyliana argumenta non neſciunt, qvæ aqvam omnium corporum materiale & unicum principium eſſe luculenter demonſtratum eunt, citra omne ambiguum erit.

Jam ratio ampliùs latere neqvit, cur omnes fontes præter lutoſa, ſalina, tophacea, concreta, etiam multum ſabuli alat, imò metallicarum inſuper particularum. Non eſt, ut horrendus & petrificus qvidam hic accuſetur ſpiritus, ſed potius, qvæ in omnibus fontibus hoſpitatur, blanda & naturæ amica fermentatio. Qvam feliciorem arguit uberior calculorum geneſis. Non raro contingit, qvod fontes delabente paulatim aqvâ, tàm in fundo qvàm alvei parietibus ſaxa, ſilices & tophos diſſeminent. Talis modi *fons* vulgò *Principium* dictus, non longè à Jena abeſt, à qvo ceu lapidifico contagio infecto fruſtrà abſtinent accolæ: potiori jure per noſtras rationes ſaluberrimus æſtimandus eſt. Ita fons ſimiliter petreſcens propè Erfordiam Mülbergæ eſt, qvi incolis in victûs uſum magno cum emolumento cedit. A morbis enim hypochondriacis, calculô, podagrâ bene tuti rarò aliam qvàm ſenilem experiuntur mortem. *Glauberus* petrificum ſimulqve valde ſalubrem fontem in Auſtria deſcribit *Tr. de Natura Salium pag. 194. Borrichius ad Bartholinum Cent. 4. Epiſt. 92.* de ſpecu recenſet, in qva ſtillans aqva in lapideas ſtirias concreſcit, ipſa autem medicis virtutibus valde nobilitata ſtrangurias potentiſſimè demulcet, neqve incolas calculo laborare permittit. Fontes thermales multos calculos ponere, imò ipſos eorum vapores in parietibus etiam ligneis eosdem ſatis altè affigere notum eſt, & annotat *Boyle Tr. de Origine & Virtutibus Gemmarum.* Cum ergò petrificam ſalubremqve vim fontium ubiqve pari paſſu ambulare expertum ſit, de aqvis ſoteriis nil alienum exiſtimare debemus. Aqvam ſoterii fontis Martisburgenſis aëri expoſitam, donec

exſpiraverit, durimmam ſubtiliſſimamqve poſt ſe relinqvere arenulam, experimentum eſt ſupra laudati Excell. D. D. Crameri.

Metallicas etiam maſſulas in ipſis fontibus oriri & concreſcere non autem ex ſcaptenſulis elui, omnium certiſſimum duco. Non enim tantummodò in profundiſſimis terræ ſcriniis, ſed ſub dio etiam in terris matricibus metalla naſci & ex pluviis nutriri, Experimentalem Philoſophiam ruditer docti & qvi ſaltim loca metallaria viſitârunt, benè callent. Sanè ubi Spiritus, aqva & ſpecificum ſemen præſtò ſunt qvæ ſubeſt ratio qvin metallicæ generationis feſtivitas, ſub mediis etiam undis, celebrari qveat. Steriles arenulas freqventi rore perfuſas nobili metallo impraegnari obſervavit Beccherus. Hinc tot metallicas particulas in fontibus reperire eſt, etiam puriſſimas & citra ignis operam ductiles. Inter qvas ferreæ numeroſiſſimæ ſunt, qvas per magnetem ſeqveſtrare integrum eſt. Purè metallicas eſſe liqvet, qvod mineram ferri magnes non alliciat. In Thuringia etiam Pactolus datur, Svvarza audit & aurô ditiſſimus fluvius eſt, ex parvâ arenularum ejusdem mole aurea ramenta ſat copioſa non ſemel collegi.

Theſ. VII.

Lutum fontanum, transſumpto Spiritu, aliqvam partem rareſcit in ſubtile Gas ſeu ſubſtantiam ſubtiliſſimam, activiſſimam.

IN fermentationis conflictu ut volatiles qvasdam particulas fixari contingit, ita fixas eâdem operâ volatiliſari ſat compertum eſt. In metallorum corroſovis ſolutionibus, fervente ebullitione, metallicis atomis prægnantiſſimum volatile Gas per altiſſimas cucurbitas evolare, *Beccherus Phyſic. ſubterran. Sect. 5. cap. 2. §. 118.* annotavit. Neqve dubium eſt, metallorum prima Entica conflandi non infimum artificium heic conſiſtere. Ipſe novi Mercurium iſto modo, ſi faveat, volatilius corroſivium menſtruum, alis ſuis uti & altiſſimum tranſire alembicum. Ex bismuthi minera vaporum denſiſſimas nubes ſolvendo excitatas maximè mirari decet.

Hæc metallicarum particularum volatilitas, ut non niſi à mutuata æthereorum ſpirituum opera eſt, ita per eandem, argillarum obſeqvioſiores adhuc moleculæ parili modo in fluorem rediguntur deſtillari aptum natum. Neqve menſtruis ſolis corroſivis ad iſtam ſolutionem

tionem opus eſt, ſpirituoſa licet inſipida rem nihilominus feliciter expediunt. Solius ignis & aqvæ communis ope, inqvit *Beccherus* Sect. 3. cap. 2. n. 13. duriſſimi lapides (terræ adhuc promtius) ſolvuntur in mucorem, qvi diſtillatus ſubtilem Spiritum exhibet, nullis laudibus ſat deprædicandum. Talismodi indolis ſpiritu, ex beneficio fermentalis reſolutionis, lutum ſcatere, ipſamet meâ experientiâ novi & Beccheri teſtimonio: Hoc lutum, inqvit, qvando per cucurbitum, coaptato alembico, igne etiam lentiſſimo deſtilles, illicò ſubtiliſſimus tranſiens Spiritus alembicum ita calefaciet, ut manu tangi neqveat, ſtriasqve interdum, qvales ſpiritus ardens efformat, videre licet, cum tamen in vas recipiens nihil niſi inſipida aqva prodeat, qvæ à Galeniſtis pro inutili phlegmate reputaretur, ſed maximarum virium eſt, tum Medicarum, tum qvod ad lætificationem vegetabilium nil ſibi ſimile in toto orbe habeat &c. Vid. *Sect. 2. c. 3. n. 7.*

Theſ. VIII.

Hæc ſubſtantia, fixo-volatilis merito dicenda, omnes qvidem fontes ſalubres, ſi qvando autem copioſior præſto eſt, in ſpecie ſoterios reddit.

FIxo-volatilis dicitur, qvod fixitatis ſemen ex dono luti meteoriſati in ſe coërceat, ſimulqve præcipuas ſpirituum dotes brevi compendio includat. Non enim volatile ſeu aſtrale elementum utilem navare operam, niſi per fixæ ſubſtantiæ amplexus poteſt. Et fixa ſubſtantia nulli bono eſt, niſi qvod confert connubium Spirituum. Corporum torpor nil prodeſt, cum actu careat. Spirituum tenuitas activa qvidem, ſed facile eludit, nec rudis minervæ vela capiunt tenuiſſimam hanc auram. Ergò conjurationis & confœderationis utriusqve ſumma eſt neceſſitas. Id eſt, qvod *Hermes* graphicè exprimit in *Tabula*: Pater ejus Sol eſt & mater Luna, portavit ventus in ventre ſuo, nutrix terra, vis ejus integra, ſi verſa fuerit in terram. Hæc aurea elementorum catena, qvæ Cœlum Terræ, Superius Inferiori conjungit. Aſtra ſuas benignitates liberaliter exprodmunt in aëra. Spiritus aëreus uſqve in aqvas penetrat & concredita heic fideliter elocat. De hac manu terra cœleſtes theſauros receptos non ſepelit, ſed magno cum fœnore refundit. Circulo Elementali

opus

opus eſt, Elementum hic non ſufficit unum, ne qvidem ad unam plantulæ conſervationem. Omnia qvidem ex aqva, ſed in qvantum cætera elementa ambitu ſuo claudit, & fixo-volatilis ſpiritus intus agit. Patet exemplo: Planta in vaſculo aqvæ immerſa non qvibuslibet ſed electis tantummodò & terr- aqv- aëreis particulis nutritur, qvæ magneticè ad plantam convehuntur omnes, qvibus exhauſtis cætera aqva inutilis eſt, nec amplius (qvod recens affuſa benè expedit) cavere vegetabilis marcorem poteſt. Hæc autem aqva emortua aëri brevi tempore expoſita novum ſpiritum haurit nutritivum, & priſtinum deinde exeqvitur vegetationis opus. Hic Spiritus Sal terræ eſt, ſine qvo dicitur fatua, qvo tota illa cum atmoſphærâ ſcatet, immò omnes aqvæ, potiſſimum pluviæ Martiæ, tonitruales, roris, fontanæ, ex qvibus Soteriæ in ſpecie dictæ excellent.

Theſ. IX.

Huic ſubſtantiæ fixo-volatili penitùs reſpondent Adoptorum Prima Entia Chymica.

IStud hic annotare par eſt, Prima Entia Chymica genuina è diametro differre à primis Entibus naturæ. Hæc in ordine progreſſus & generationis, illa regreſſus & regenerationis ſunt. Fallunt & falluntur, qvi primum Ens auri in Gur & Bur, ſeminalibus metallicis maſſis: Coralliorum in immaturo & lacteo alibili ſucco, neqve in fixis corporibus volatiliſandis, qværenda eſſe ſuſtinent. Saltim hinc obſcurum amplius eſſe neqvit, cur Helmontius ſal Tartari fixum volatiliſare aggrediatur, iſtudqve adeò expetat in magnos uſus, imò Alcaheſti vicariatum: Cum crudi Tartari volatilitas tam obvia & prompta ſit, aſt certè etiam iners. Corpora ergò compacta recludere & fixa reducere non eſt actum agere, ut cuidam non incelebri Chymico hæc opinio ſedet. Tota Chymica in palingeneſis myſterio & converſionis elementorum angulo vertitur.

Theſ. X.

Aqva Soteria ratione Primi Entis, Univerſalis Medicinæ apicem attingit & omnibus omnino convenit morbis.

Univer-

UNiverſalis Medicina non eſt qvæ actu omnem abolet extingvitqve morbum, & vitæ conclamatæ ſpem ubiqve erigit, inqve ſeros annos extendit, qvi finis externus non ſemper obtinetur: ſed qvæ convenit omnibus morbis atqve præ aliis utiqve potenti manu in affectus qvosvis ita agit, ut omnium compleat indicationum paginam, nullaqve ſuperſit etiam leviſſimi accidentis contradictio, ſicqve ab omni antipraxias crimine abſolvatur. Id qvod expedit ſerenando, exanimando, hilarando, exanimando, augendo, conturbatos, triſtes, imbelles, diminutos ſpiritus: Qvi ipſa natura ſunt, Hippocrati unica morborum medicatrix. Cætera minorum gentium medicamenta, tantummodò impedimenta, qvæ naturam remorantur, ſummovent, ipſa ſecreta naturæ limina, tanqvam charactere ſanctioris Legati deſtituta, ceu Helmontius loqvi amat, non ingrediuntur, neqve illam propius juvant, tantummodo ſuiſmet viribus, ſi qvibus adhuc pollet, liberius uti frui procurant.

Cum in aqvis Soteriis ſpiritum fixo-volatilem, ſeu terram ſpirituoſam qvæ magnarum in Medicina virium eſt, unicè veneremur: Iſtius ſpiritus ingenium & ſpecificas notas addiſcere non pœnitendæ operæ pretium erit. Hic Spiritus ut de terra oriundus, ita æmulatur etiam ejusdem alexipharmacas aliasqve virtutes & longè antecellit. De aliqvibus terris, utpote fontanis, ſigillatis & nonnullis bolis recentibus præcipuè, & ſpiritum deſtillari, & ſal volatile ſublimari, non ſemel compertum eſt. Hic autem opus habemus cucurbitis vitreis, per terras ſal volatile omne exſpirat. De liqvore bezoardico ex terra deſtillato, vid. *Act. Med. & Philoſoph. Haffnienſ. anno 71. 72. Obſerv. X.* Ex lutis fontanis aqvam inſipidam qvidem, aſt ſpirituoſam, qvæ alembicum calefacit & ſtriatim delabitur, deſtillari, ſupra annotatum eſt. Idem Spiritus ex aqvis Soteriis lentiſſimo etiam igne deſtillatur, & ille eſt, qvem magni hic facimus. Liqvet inde qvam peccent, qvi aqva Soteria calefacta vel cocta utuntur, qvæ enim & ſpiritu & ſimul omni virtute privata eſt. De ſpiritu aqvæ & ejusdem virtutibus vitæ *Tackium* in *Phaſib. & Eukren. Theoſoph.* It. *Helmontium in Paradox. 3.* ubi de Ente primo ſajum inſipido, qvod in aqva præcipuè fontium eſt, notabilia habet. Maximè autem iſtum ſpiritum panchreſtum de aqvarum copiâ deſtillationis ope ſeqveſtrare, & hinc minutiori doſi ægrotantibus

 propi-

propinare refert. Cruditas enim copioſæ comitantis aqvæ multis in ſubjectis, ſi qvando præcipuè ſtomachi robur minus reſpondet, non unam inferre noxam poteſt.

SOLI DEO GLORIA.

QVod ſis, KALCKHOFI, magni Patris æmula proles,
non doctrina docet ſolum, ſed & ardui honores,
ad qvos Te Virtus rapit enthea, ducit Hygeia.
Euge bonum factum! ſupereſt nihil amplius, ornet,
qvam bona Sparta tuos & dives Sponſa labores:
ut det utramqve Deus, precor, & benedicat ab alto
porro Tibi ſtudiisq; tuis: ſic incluta Nomen
Gloria lativagum vehet immortale per orbem.

αὐτοσχεδ.

Georg. Chriſtoph. Petri,
D. Med. Electoral. Mog. & Erfurtenſ. Ordinar. Fac. Med. p. t. DECANUS.

Nobilis-

Nobiliſſimo & Experientiſſimo Domino

DOCTORANDO

S. P. D. & applaudit

CASPAR CRAMER D. Anat. & Chir. P. Ord.

NEmo Romanus, niſi ſit de fæce Romuli, iſtud Nigrum, à tuis Rubricis Inauguralibus nuper premiſſum, caveat: ut qvod veritatis candore ſummè conſpicuum, in deliciis potius habendum eſt. Lugdunenſem aram expavere eruditio non debet, alias gratiam mereri ſolita, non ſpongias & pumices. Vel rediviva ſuperſtitio Genitam Manam colit, ad qvam ſuſcipiebatur votum, ne qvis naſceretur probus? ſaltim Diſſertationis tuæ natalibus non interfuit illa Diva. Illorum potius, qvi illam invidè carpunt & iniqvo pondere delibrant. Iſti ſunt, qvi totius Medici orbis imperiales faſces, poſt Hippocratem & Galenum, ambiunt & invadunt. Non tantummodô XII. Tabb. leges rogant, ſed & imperant. Inauditum! Medicas Pandectas condunt, ſecundum qvas, qvævis alia aliorum dogmata condemnare, caſtigare, abrogare vel abſolvere, jure ne an injuriâ, liceat. Si autem propius intueare iſtos Imperatores, non Juſtiniani ſunt, fortè Domitiani: qvi inter Eleuſina muſei ſui ſilentia, cum tu illos myſteriis toti orbi profuturis operari ſuſpiceris, non niſi muſcas captant & ſtilo configunt. Ipſi nihilominus μετὰ πολλῆς φαντασίας fata Medicinæ tanqvam ex colo cum Parcis ſe ducere opinantur. Eandem qvidem cum Hippocrate natam fuiſſe, ſecum autem morituram perſvaſiſſimi. Cum enim nullos ſortiantur Artis filios, ipſi Aſclepiadum familiæ extremi, Medicinæ illuſtria nomina & inſignia in tumulum ſecum trahere parant. Fortuna properet & proſperet iter!

Nos excuſſa hac ludimoderatorum tyrannide, voto utamur non tantum, ſed & fruamur magni *Bartholini*, qvi ad *Franc. de le Boe Sylvium* (C. III. Ep. 34.) hæc verba transſcribit: *Hæc à Deo ſemper ſum precatus, ut talem libertatem reſtitueret orbi literario, qva cuivis Erudito liceret, de qvo vellet, impune dicere.* Id enim qvod aliâ ire viâ, qvàm per impreſſam prioris pedis notam, nemo hactenus auſus

fuit,

fuit, unica in cauſa eſt, *Medicinam ab ævo Hippocratis nil progreſſam per gyrum tantummodò* (ne vertiginoſa & ſyncoptica capita mireris) *in ſeqventium vertiginem rediiſſe*, inqvit Helm. tr. Promiſſ. §. 5. Nunc vero, qvod effatum eſt Celeberrimi Viri D. D. *Morhofii Prof. Kilon. de Intemper. Stud.* cùm ſentire incipiunt, qvàm ſit ſtultum unius autoritate, hominis tamen, & ſæpè etiam errantis, Naturæ operationes definire, viam ingreſſæ ſunt, non jucundam ſolum ſed & honorificam illuſtres animæ, qvo & rigidiſſimis per Ignem experimentis & ſagaciſſimis obſervationibus Naturæ ſacrarium felicius expugnarent. Et vidimus profectò *intra exigui temporis ſpatium, plus incrementi ſtudia hæc, qvam integris olim ſeculis ſumſiſſe*; hactenus Vir Celeberrimus.

DEO ſit gratia, qvod hodierna tempeſtate, rumpantur ut illa Momo, tot Academiarum, Collegiorum, Societatum ferventia in Medicinam noſtram poliendam, innovandam, recudendam, ſtudia, AUGUSTISSIMORUM CAPITUM auſpiciis, feliciter conſpirare videamus. Laudemus veteres, his noſtris utamur annis. Et noſtrâ jam adultâ Medicinâ. Qvæ ut olim infans fuit, ita omnes pueri & bis-pueri, qvi ejus incunabulis, easdem rotante Galeno, adhuc dum indormiunt. Me capite, non Galenum culpo. Qvi mihi æternâ laude condignus eſt: dum ne aſſe qvidem & tritivillitio ejusdem ſervum pecus & adulatores, puri puti Galenici.

Ecce meum heic animum ſeriò explicui; nonne etiam tuum, amiciſſime Kalckhofi? qvamdiu te Auditorem meum novi, neqvè memèt ipſum, neqvè alios plus aſpiciendi qvàm potius veritatem, unica tua cura ſedulo vigilavit. Non ſecus ac olim ſervorum in Phœnicia orituro attendentium ſoli; qvi jam liberi facti pernicioribus regnum oculis deſtinabant. Penes te non purpura qvidem, aſt qvod Kepplero (vid. Lanſium in Mantiſſ. p. 792.) adhuc magis eſt, pulcherrimum illud εὕρημα, perſpicaciſſimum judiciii tui obtutum in unicum vertit ſolem veritatis. Qvem etiam non extremis libaſſe oculis, ſed probè perſpexiſſe, me tacente, loqvitur tua de Soteriis Fontibus Diſſertatio. Qvæ ſanè prorſus ad deſiderium noſtrum & Antiqvis & Recentibus juſta ſua pretia decernere accuratè novit. Ita me Deus! curioſa, docta, & tota lucidis radiis, qvos ignis chymicus potiſſimum affundit, ſcripta. Qvam cum veſpertiliones neqveant videre, invident & hoſtiliter invadunt. Boni autem & docti omnes laudant. Et hæc non ultima laus eſt.

Qvam

Qvam crede experto, plus imprudens inimicorum furor, qvam decens bene cupientium applauſus alit Famæ decus & incrementum invidia. Qvæ enim injuſta juſtas etiam qverelas & verioris culpæ notas ſibi aſſimilat, & ita id, qvod etiam humanum eſt, abſterget, ut ab omni parte nitidus, ſeqvè ipſo major evadat honor. Cujus Tu primitias jam metis, mox opimam ſegetem. DEUS donet, & te, mi Optatiſſime, Kalckhofi, ſervet.

QVam de Te, DOCTOR, famam capit Itala tellus,
Divitis & Paduæ, qvod premo, dulce ſolum?
Eſt Tua limatis mens inclareſcere ſcriptis.
Gratulor hanc mentem, gratulor auſa Tua.
Non minor eſt virtus, qvàm diſcere, docta tueri.
CALKHOFI Doctor, Te geris egregiè:
Publicitus ſani dum Fontis Themata ſiſtis,
Qveis nil parturiit doctius Ingenium.
Sic mage Virtutes inſigneqve Nomen adauges:
Sicqve meretur Amor, ſicqve paratur Honor:
Ingenii qvin immo Tui ſum factus Amator:
Delectorqve Tuis Partubus Ingenii.
Qvæ Doctis tantùm placeant, digniſſima ſcribis:
Qvæve favens Pallas ſive Minerva paret.
Hinc Medicinales dum Fontes linea ducit,
Ex Te Fons, DOCTOR, provenit ecce duplex.
Unus, DOCTOREM qvi Te proclamat, Hieram
Doctrinæ: Patrios irrigat alter agros.
Nunc in pauca licet Præconia multa referre:
Undiqve ſummus Honos floreat Ille Tuus!
Et prodeſſe velis & delectare Politis,
O DOCTOR Scriptis! Vive, diuqve vale!

Experientiſſimo Doctori Kalckhofen / *Convictori olim ſuo Candidiſſimo, Fautori Honoratiſſimo*

Paduæ ſcripſit & transmiſit

J. C. S. M. D.

Ad Excellentiſſimum atqve Experientiſſimum Dn. DOCTOREM JOHANNEM CHRISTIANUM Kalckhofen/

De FONTIBUS SOTERIIS
felicem Fœturam in publicum promentem,

Exegematicon.

ALterius firmam potari poſſe ſalutem,
Dicere, dicendi formula mira patet.
Neſtora mos vetus eſt, vitæqve bibiſſe ſalutem,
Sic eſt in pota viſa ſalute ſalus;
Huc accede, tibi contingant qvisqve ſalutes
Optas: ad FONTES hos celer appropera:
CALKHOVIO DOCTORE Bono DuctoreqveFONTIS!
Ex illo SANÆ FONTE bibuntur AQVÆ.
FONTIBUS coeptis ſatis hiſce SALUTIS habebis:
In poto vitam qværere FONTE juvat.
Corgoneas pedis alati pollictibus undas,
Bellerophontæus pegaſus elicuit:
Qvas non Calckhovius benè CALCIBUS invenit undas?
Repperit en FONTES, qveis medicina ſubeſt.
Utile num factum? Num gratum? FONTIBUS hauſtis
Dum potis æger erit damna levare ſua:
Spernentur Medici ſine laude lucroqve jacebunt:
Dat Galenus opes, ſymbolon hocce cadet.
Deſine, Muſa, jocos! Qvæ Scripta SALUBRIA promis,
O DOCTOR, ſapiunt: qvilibet iſta probet,
Ut, patiare, volet Tua DISSERTATIO latè
Docta per Ora: per hanc paſcier illa volunt.
Ipſe precor ſanam Mentem cum Corpore ſano
Ut Tibi conſervet Cœlicus Archiater.
Mille fluant Vitæ Jeſu de FONTE SALUTES:
Ex illoqve bibas Nectar & Ambroſiam!

Epigram-

Epigramma.

Qvi das SOTERAS FONTES, SOTERIUS ipſe,
DOCTOR es, & SOTER diceris invalidis:

gratulans ſcribebat

MARTINUS RONDT, Holſatus.

FINIS.